



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

XI. De apprehensione nunnae. Ll. Sax. cap. 18. Iorn. 20.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

emendetur ei. Si supinet eam, nec tamen concumbat cum ea, decem solidis emendet. Si concubuerit, sexaginta solidis emendet ei. Si aliquis cum ea iacuerit antea, sit emendato medietas hoc. Si accusetur inde, \*adlegiet se per sexaginta hydas, vel dimidium emendationis amittat. Si hoc in nobiliori muliere contigerit, crescat emendatio sicut eius natalis ingenuitas erat.

X.

Si quis coram archiepiscopo pugnet, vel arma extrahat, emendet 130. solidis. Si coram alio episcopo vel aldermanno faciat, 120. solidis emendetur.

XI.

Si quis nunnam causa fornicationis in vestes aut in sinum sine licentia comprehendat, sit hoc duplo emendabile, sicut ante simpliciter de laica decreuimus.

XII.

Si quis alterius monacho pecuniam commendauit sine licentia domini ipsius monachi, & amittatur, nihil inde recipiat qui commisit ei.

XIII.

Si presbyter hominem occidat, capiatur, & totum unde sibi mansionem emerat: & exordinet eum episcopus, & ab ecclesia reddatur, nisi dominus suus componere velit veram eius.

XIV.

Si quis ceorlus mancipium ad violentum concubitum comminetur, emendet ipsi ceorlo, id est rustico, 5. solidis & sexaginta solidis vvitæ.

XV.

Si seruus seruam cogat ad violentiam perferendam, castretur.

XVI.

Si quis alii Dei plegium intentet [*id est, eum criminetur qui Deo se obstrinxerit in famulatum*] & compellare velit quod ei aliquod eorum non compleuerit, periuret hoc in quatuor ecclesiis; & si alius se purgare velit, in duodecim ecclesiis hoc faciat.

XVII.

Regis *Burghbreche* [*id est, pacis in regio burgo violatio*] est centum viginti solidorum. [*in Burgo*] archiepiscopi, 90.